

VERSION LATINE

Pline célèbre en Trajan le meilleur des amis, capable de céder aux instances d'un familier désireux de le quitter.

Operae pretium est referre quod tormentum tibi iniunxeris ne quid amico negares. Dimisisti optimum uirum tibique carissimum inuitus et tristis et quasi retinere non posses, quantumque amares eum desiderio expertus es, distractus separatusque, dum cedis et uinceras. Ita, quod fando inauditum, cum princeps et principis amicus diuersa uelletis, id potius factum est quod amicus uolebat. O rem memoriae litterisque mandandam, praefectum praetorio non ex ingerentibus se, sed ex subtrahentibus legere eundemque otio, quod pertinaciter amet, reddere, cumque sis ipse distentus imperi curis, non quietis gloriam cuiquam inuidere ! Intellegimus, Caesar, quantum tibi pro laboriosa ista statione et exercita debeamus, cum otium a te tamquam res optima et petatur et detur. Quam ego audio confussionem tuam fuisse, cum digredientem prosequereris ! Prosecutus es enim nec temperasti tibi quo minus exeunti in litore amplexus, in litore osculum ferres. Stetit Caesar in illa amicitiae specula, stetit precatusque est abeunti prona maria celeremque, si tamen ipse uoluisset, recursum nec sustinuit recedentem non etiam atque etiam uotis, lacrimis sequi. Nam de liberalitate taceo. Quibus enim muneribus aequari haec cura principis, haec patientia potest, qua meruisti ut ille sibi nimium fortis ac prope durus uideretur ? Nec dubito quin agitauerit secum an gubernacula retorqueret, et fecisset, nisi quod paene ipso contubernio principis felicius iucundiusque est desiderare principem desiderantem.

Pline le Jeune, *Panégyrique de Trajan*, 86.